

Tema del Sinodo dei Vescovi 1983

Riportiamo, per documentazione, la lettera del 25 luglio 1981 del Segretario Generale del Sinodo dei Vescovi indirizzata al Cardinale Presidente della C.E.I., Anastasio A. Ballestrero, circa il tema approvato dal Santo Padre per il Sinodo 1983.

SINODUS EPISCOPORUM - PROT. 914/81

Venerabilis Frater,

post expletam consultationem Conferentiarum Episcopaliū, Coetuum Episcoporum ritus orientalis aliorumque quorum interest, argumenta in proximo Episcoporum Coetu tractanda et a singulis proposita, Summo Pontifici rite submissi, ut ex ipsis unum seligeret.

Beatissimus Pater, in Audientia die 16 Iulii in Nosocomio « A. Gemelli » mihi concessa, mentem suam aperuit atque disposuit, ut Coetus generalis Synodi Episcoporum, qui anno 1983 Deo favente coadunabitur, discuteret argumentum

DE RECONCILIATIONE ET POENITENTIA IN MISSIONE ECCLESIAE

Honori mihi duco hoc thema, a pluribus propositum et nunc a Summo Pontifice adprobatum, Tecum communicare, ut profundior meditatio de ipso incipi possit. Nemini enim aufugit quanti momenti sit pro hominibus huius temporis reconciliatio et poenitentia sive ut christianae vitae forma sive ut sacramentum. Considerandum erit quaenam sit in hac re in hodiernis mundi circumstantiis missio Ecclesiae fundatae ab illo Divino Magistro qui praedicationem suam incipiebat verbis: « Poenitemini et credite Evangelio » (Mc 1, 15).

Ceterum, prout mos est, suo tempore quaedam « Lineamenta » de hoc argumento Tibi mittenda curabo.

Schema « Lineamentorum » praedicti argumenti a Consilio Secretariae generalis et coetu peritorum his proximis mensibus parabitur ut, Summo Pontifice approbante, ipsa « Lineamenta » quam primum mitti possint ad Synodos Ecclesiarum Orientalium, ad Conferentias Episcoporum, ad Patres Cardinales Dicasteriis Curiae Romanae praepositos necnon ad Unionem Superiorum Generalium, ita ut tempore opportuno ab omnibus quorum interest examinentur.

Hanc occasionem nactus, sensus meae fraternae aestimationis Tibi pandendo remanens

Tibi add.mus
JOSEPH TOMKO
Secretarius Generalis